

Sommesuuez. Meinhardus camerarius de Moggere. Cunradus de Bichowe et quam plures alii tam clerici quam laici. Datum in castro Struf iiii nonas iulii.

(S)

## 343.

*Landgraf Ludwig IV. bestätigt den Verkauf einiger Güter zu Schwerstädt von Seiten des Christian 5  
von Hirschingerode an das Kloster Volkerode. 1225 [Jan.—Sept.]*

*Hdschr.: Or. Perg. Haus- und Staatsarchiv Gotha. QQ. I. i. 2. Das S., an grünen und rothen Seidenfäden, =  
Taf. XII. 3.*

*Gedr.: Schöttgen und Kreysig, Diplomataria 1,758 (unvollständig).*

:In nomine sancte et individue trinitatis.: Ludewicus dei gratia huius nominis III. 10  
Thuringie lantgravius et Saxonie comes palatinus omnibus | in Christo fidelibus. Quoniam  
in humanis rebus nichil fixum reperitur ac stabile, cunctis videlicet, que sub sole fiunt,  
temporaliter transeuntibus | cum tempore unicum ac singulare humane ignorantie solatium  
est expressio litterarum, quibus a priscis iam dudum celebrata temporibus nostre com-  
mendantur | memorie et que in presentiarum actitari cernimus, ad futurorum solent devenire 15  
noticiam. Quapropter notum esse cupimus omnibus tam presentibus quam futuris hanc  
paginam intuentibus, quod Cristianus miles de Hÿrschinrode vir nobilis et liber bona  
proprietas sue in Svegerstete septem videlicet mansos cum arcis, pratis et molendino  
ac reliquis appendiciis a progenitoribus suis ad ipsum iure libertatis devoluta conventionione  
facta cum conventu de Volcolderode eidem contradidit ecclesie pro marcis centum, pro- 20  
mittens se omnem warandiam facturum fratribus, quam vellent et expeterent, sed recla-  
mantibus heredibus, Ernesto scilicet filio eius, qui prius consenserat cum patre et Margareta  
sorore sua, minus iusto factum est, quoniam acceptis de memorata summa pecunie marcis  
quadraginta duabus et dimidia usque ad mortem protrahendo, quod pollicitus fuerat,  
minime persolvit, donec tandem post mortem ipsius prenominati heredes unanimi habito 25  
consilio de bona voluntate contractum cum conventu prefate ecclesie, ut sperabatur,  
legitime celebratum pro eo, quod argentum, quod necdum fuerat persolutum, marce  
scilicet LVII et dimidia in ipsorum cederet usus, ratum habuerunt et abrenunciantibus  
simul etiam omnibus suis heredibus, Bia videlicet uxore Ernesti et Margarete filiis ac  
filiabus bona ipsa personaliter Ernestus et Rudegerus de Hagin maritus Margarete, sicut 30  
et Cristianus iam dudum ante fecerat, super altare propriis manibus dederunt et ad  
evidentiolem consummate rei confirmationem in presentia nostri domino Gerhardo abbati  
loci eiusdem accersitis pluribus viris honestis in testimonium consignaverunt. Ad con-  
sulendum igitur simplicitati famulantium deo predicta sub protectionis nostre defensionem  
suscipientes bene placiti nostri favorem presenti decrevimus exprimere caractere et, ne 35  
quis ausu temerario revocare studeat in posterum, quod mediantibus nobis factum est,  
bonorum virorum testimonio sigillique nostri exhibitione studuimus confirmare. Testes  
sunt: Comes Lambertus et comes Ernestus frater eius. Comes Albertus de Cletenberch.